IN FUNERE MORANDI MORANDI FINARIENSI SERENISSIMI HERCULIS...

Giuseppe Ramazzini



IN FUNERE
MORANDI MORANDI
FINARIENSIS
SERENISSIMI
HERCULIS RAYNALDI
ATESTINI PRINCIPIS
CONSILIARII MEDICI
ET CONJECTURANTIUM ACADEMIÆ PRÆSIDIS
ORATIO
HABITA MUTINÆ KALEND. JULII MDCCLVI.
A JOSEPHO RAMAZZINI
CONJECTURANTIUM ACADEMICO.



MUTINÆ MDCCLVI.

Typis Hæredum Bartholomæi Soliani Impressorum Ducalium.
Superiorum Permissu.

ILLUSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO DOMINO

SYLVESTRO ANTONIO PONTICELLI

FARNETTÆ, ET GUSCIOLLÆ COMITI
NEC NON PRINCIPUM REGALIS FAMILIÆ PARMENSIS
ARCHIATRO MERITISSIMO
SALUTEM DICIT

JOSEPH RAMAZZINI

MEDICUS MUTINENSIS.



Uod multis in rebus evenire solet, hoc in re litteraria frequentius evenit, cum Scriptor ea, quæ prius mente concepit, non pari dexteritate, & solertia ennititur concepta, licet famam extendere factis, hoc virtutis opus.

Hoc mihi evenisse sentio, dum Morandi Medici, & Academiæ Conjecturantium Præsidis litteraria

gesta unica oratione hac complecti, & exornare pro viribus sum conatus, tarde enim sensi, quantum me transversum egerit, nescio quis mentis ardor, promptior ad arma, tardior ad pugnam. Et eo magis me imparem oneri sensi, cum Vir inclyte laborem meum tibi volui inscriptum, & dicatum. Ecquis non videt tibi occupatissimo, ac attentissimo, ut regales Parmenses Principes, quorum saluti excubas, & prophilactice a morbis praeservas, opus plus temporis, atque olei fore elaborandum, & perpoliendum, quod pro sui singularitate, si te non doctiorem (quod difficillimum erat) saltem concinno cultu oculos alliceret, mentique satisfaceret. Verum ex depauperato penu meo, ecquis unquam talia vel obtinere, vel expectare speraslet? Quoniam autem jacta est alea, veniam apud te, (& Archiatri dignitate decoratum, & in Foro Medico Praesidis honore praefulgentem, ut Chirurgos, Pharmacopaeos, Obstetrices, caeterosque medicae facultatis viros in officio contineas) me impetraturum esse confido, si maxime attendas me de Morando dicturum, cum quo multis ab hinc annis epistolarum vicissitudine omnia amicitiae jura servasti, quo epistolarum thesauro posteritas tibi, & Morando aeternum plaudet. Adde ausibus meis stimulos, & calcaria addidisse nonnullos Academiae nostrae Socios, quibus volupe fuit doctis, & excul-
tis

tis elucubrationibus Morando ipsi perentare, seu melius tenuitati meæ esse subsidio, ut audacius tibi sisterem, & levidensem ingenii mei fœturam hilari animo exhiberem. Tu interea dantis animum, & opusculum excipe, & fove, detque Deus Optimus te diu, & plurimum valere, teque sospitet in totius Medicæ reipublicæ bonum, & Regalis Parmensis Aulæ felicitatem.



BENEVOLO LECTORI.

EX titulo, quem funebri Orationi meæ præfixi fortasse, Lector amantissime, una cum aliis, qui eum sunt lecturi suspicaberis me vel Oratoris laudem affectasse, vel dum amicissimi mei gesta excurro in alterius laude, laudem meam a Legentibus expiscari. Utromque longe abfuit a me, cum probe noverim, me nec Oratoris laudem promereri nec viræ gesta Amicissimi mei, ut par erat ex dignitate illustrasse. Duo tamen in scribendo præ oculis fuere: Primum, illud amicitiæ sanctum, & venerabile nomen, quo nihil dulcius rebus in humanis; alterum veritatem in dictis, qua nihil in terris vel pretiosius, vel optabilius religiose colere, & custodire, quam in omnibus sartam, & tectam firmavi, mea imprimis, & ipsa amicorum autopsia, ut quantum ex me esset oblocutorum ora obstruerem. Tu interim, Lector benevole, si otium est, hoc nostro fruere labore, & scribentem amare perge. Vale.

Lamen-





Amentabilis, & deploranda rerum facies, ubi regna, provinciæ, & imperia bono Principe, & Moderatore destituta, velut Oves sine Duce, Corpus sine Spiritu desolata jacent, atque in mœrore sepulta: Equidem verba non suppetunt Historico Curtio ad gemitus, & suspiria Macedonum satis exprimenda in Alexandri obitu, *dum ploratu*, inquit, *primo lamentisque, & planctibus tota regio personabat. Mox velut in vasta solitudine omnia tristi silentio muta torpescebant, tandem non mœstorum solum, sed & indignantium voces exaudiebantur tam viridem, & in flore ætatis suæ fortunæque invidia Deum ereptum esse rebus humanis, quem nunc suorum curam habiturum? Quem alium futurum Alexandrum?* Hæ, & aliæ tristissimæ curæ Macedonum præcordia dilaniabant ab evulgato Regis obitu, & parum abfuit, A. O., si parva licet componere magnis, quod non dissimiles affectiones crudeli laniatu nostrum animos discerperent, & certamen quoddam mœroris fieret ab accepto ferali nuncio e statione vivorum improviso sublatum esse Præsidem, & Moderatorem Academiæ nostræ, cui tam bono luto Titan præcordia finxerat, & amænum

 inge-

ingenium indulserat ei natura, quemque mira sagacitate præditum admirabamur in re medica facienda, & armatum consilio, & prudentia sicut Palladem, & tanquam virum in antiquitatis, & novitatis studio medico perfectum plenis suffragiis commendabamus, cujus denique doctrinæ *puriori nectare saturi essemus*, *ac viveremus*, ut de Jove lusit Martialis.

Verum illud statutum est omnibus super necessitate mortis, quod fratres, parentes, amicos dividat, & carissima inter se nomina crudelis, & dura dissociet, attamen adversus irrecusabilem mortis necessitatem consolatione hac erigimur quandoque, si magnanimus Princeps fuerit, qui occubuit, quod politicum regimen imperturbatum servaverit, si Pater familias patrimonium, & administrationem rite procedentem reliquerit hæredibus; ast in interitu singularis hujus viri, & in tanti Præsidis funere nonnisi condolere possumus, eo maxime tempore, quo Academia nostra recens adhuc, & parvula lacte potius, quam duro pane fuisset enutrienda.

Ne miremini quæso, A. O., si quotiescumque in verba nitor prorumpere, & super tumulum ejus flores spargere, toties lacrymis implentur oculi, & renovato dolore totus in funere sum. Quid enim miserius, quid acerbius oculis offerri poterat in Templo sacro eum intra Feretrum positum inevitabili quidem humanæ conditionis necessitate, sed mortuum in tempore non suo? Heu nimium jacentem eum intuemur, qui nos omnes jacentes erigere, exanimem, qui exanimatis pluries nobis animum addere solebat, vita destitutum, qui mille morbo correptis benignissime, ac liberalissime sanitatem, & vitam remediis impertivit. Equidem, A. O., fateor, quo magis ejus excellentia eminet, eo magis doloris sensus ex jactura percipitur, nec animum ab atrocitate tanti vulneris abducendum reor, nisi virtutes, & laudes ejus grata comme-

mora-

moratione recenseam, & rerum gestarum præclara recordatio animo inferat lenimentum, qui

Lenibat dictis animum, lachrymasque ciebat.

Consuevere olim Proceres super cadavera Parentum defunctorum in concione pro rostris laudes Liberos dicere, & instar lugubrium carminum ad fletus, & gemitus audientium pectora concitare. At rerum in nobis ordo mutatus est, & in honorem celebriorum sua jura servavit natura viros collaudare, qui ex rebus feliciter gestis famam, & existimationem sibi compararunt. Ecquis unquam præ cæteris obsequium, & tributum laudum exigit jure, ac promeret, quam egregius Morandus honor, & decus ætatis nostræ, de Morando inquam, qui inter Medicos maximus in studio liberalium disciplinarum perennis, & uberrima scaturigo bonarum artium, quibus præditus evaserat, cui beneficum Cœlum, benignior natura, ferax, & sublime ingenium, constans, & singularis reminiscentia, & longissimum litterarum studium fuerat per tot annorum spatium. Verum in hac potissimum urbe, & lachrymis indulgendum, & laudibus ejus fieri deberet luctus secundum meritum. Nam se se hic ostendit amantissimum patrem insignioris literaturæ, hic optimam medendi methodum exercuit consultationibus, hic edocuit omnes, & nobis potissimum ineluctabilia argumenta communicavit digna solum sublimissimæ suæ mentis, sive experimentorum evidentia veritatem demonstrando, sive cum amicis familiariter differendo, sive opera medica in lucem edendo, quæ omnia mihi pro argumento erunt, & orationis meæ ordinem præsignabunt, ut aperte cognoscamus Morandum Morandi, *& excultum Philosophum, & optimum Medicum, & dignissimum Academiæ Conjecturantium Præsidem* extitisse.

Deambulanti sicuti florenti in Vireto, *distincti vernant hortensi cuspide flores*, & tacita colorum, & odorum varietate deambulantis manum invitant, & alliciunt, ita

me,

me, A. O., primo dicturum de Morando talis, & tanta virtutum, & scientiarum seges, & Florum corona succrescit, ut quid primo eligam, quid posterius dicam, quid consulto taceam, prorsus ignorem. Incipiam tamen, A. O., & quantum ille de unaquaque re bene sentiret philosophice judicaret, & ornate, quæ philosophice judicaverat eloqueretur, vos ipsos, qui huc honoris titulo confidistis, in testes voco, & adduco.

Fabulati sunt olim antiqui Poetæ disertos quondam viros, quos ad unam incolendam urbem ex agris, & sylvestribus mapaliis necessitas delegerat dicendi copia, prout illa tempora ferebant adeo excelluisse, ita ut cantu, & fidibus lapides movisse feroces, immanium bestiarum impetus rexisse, ac perennium fluminum cursus retardasse finxerunt. At vero constitutis civitatibus, quid aut ad utilitatem fructuosius, aut ad dignitatem, aut ad famam splendidius esse potuit, quam dicendi copia posse cujusque artis, & disciplinæ habita præcepta tradere, alios erudire, & posteritati etiam in perpetuum cognoscenda relinquere, quæ, vel circa principia, & causas rerum naturalium versentur, sive humanæ valetudinis conservationem, vel reparationem respiciant. Tali dicendi copia fretus Morandus comitem sibi adjunxit nobilissimam philosophiæ facultatem, cui roto animo se addixerat, ut fortius secretiora medicinæ phænomena referaret, quæ ut nemini dubium est maxima ex parte in tenebris jacuissent, nisi ornatæ, & illustris cujusdam eloquentiæ lumen accessisset.

Vitam ideo ingressus ille non oris modo, ac vultus, sed corporis totius elegantia, & venustate, ut ex ipso aspectu mirgo quædam ingenitæ virtutis, atque ingenii præfervidi ad studium litterarum emicaret. Magna sunt quæ vidimus, majora quæ audivimus. Vidimus equidem, & adolescens adolescentulum, & vir virum, & senex senem, neque unquam videre fortasse meminerimus, in quem ve-

rius

rius id conveniat, quod Græci de Alcibiade prædicarunt in omnibus ætatis partibus æque gratam, ac jucundam ipsius formam fuisse ægrotantibus præcipue, quibus hilaris aspectus medici, & faciei venustas magis prodesse solet, quam turba consulanea remediorum.

Verum accessit ad hæc in tua pubertate ingenium ad omnes disciplinas docile, & ad eas percipiendas ita factum, ut quæ discebat non tam a magistris excipere, quam ex se parere solebat, & eorum ferme semper reminisci quodammodo, ac recordari. Quis non facile auguraretur ex illa herbescentis adhuc, seque paulum exserentis ingenii teneritate magnas inde virtutis, ac sapientiæ fruges exituras.

Præprimis tamen latinis litteris in Gymnasiis Mutinensibus Patrum Societatis Jesu diligenter excultus, ibidemque in philosophiæ studio magna cum sedulitate exercitatus, Patavium se ad apprehendendam medicinam contulit, quibus in studiis, *ut Gigas ad currendam viam* exultavit, & tanta celeritate, ut evolasse eum non iter fecisse diceretis, eousque feliciter progressos, ut adhuc in primo flore adolescentiæ Doctorali Laurea decoratus fuerit contra ætatis suæ mensuram, eosque honores, & fastus consecutus summa cum omnium admiratione, qui nonnisi matura jam ætate, & confecto studiorum cursu non immerentibus dispensantur. Est quidem, est aliqua vis originis, ac sanguinis, quosque ad salutem gentium conservandam destinavit præpotens ille rerum omnium moderator Deus, in eis plerumque virtus non expectat annos, sapientiæque semina in eorum animis facilius comprehendunt, & tempestivius adolescunt, naturali lege sic constituente, ut quo illustriora sint ingenia, eo breviora sint *prout ex arboribus*, ut refert Erasmus, *quæ vehementer fæcundæ sunt, eo celerius senescunt, & fructus præmaturi raro, vel nunquam durabiles observantur;* ut cum jam pridem ad-

fum-

summum scientiarum culmen pervenisse judicaretur; & incremento, ut ait Seneca, locus amplius non foret in litterarum studio, ipse tamen in dies se ipso melior, ac perfectior in Philosophia eminebat, in Medicina vero doctior, & utilior Medicus evaserat ægris, cum philosophiæ facultatem medico necessariam esse, & quid divini eidem affigere scripserit olim medicorum maximus Hippocrates: *Medicus Philosophus est Deo æqualis, neque enim magna est inter ipsos differentia.* Verum quis felicius morborum, & simptomatum procellis obsistat, quam medicus ille, cui tanquam fidæ comites adsent philosophia, & mathematica. Atque ut exemplo res planior fiat. Quis precor modum quo visio fiat, quomodo depravetur verius exponat, quam qui opticem didicerit. Quis admirandum naturæ artificium, quo fit auditio promptius expediet, quam qui Musurgiam calleat. Quis leges mechanicas, quibus corporis nostri latices tam facili obsequio in orbem feruntur, ac per Diadosim partibus dispensantur, nec non quomodo illorum fluxus quandoque perturbetur, apertius ad sensum usque demonstret, quam qui ad Hydrostaticæ fontes large combiberit. Perperam Medicus naturæ recte operantis vulgo adminster, & Moderator diceretur, nisi secretiora naturæ adyta duce prius, & auspice philosophia perlustrasset, & cognitionem, ac intelligentiam eam perspectam non haberet rerum præstantium, & remotarum a captu vulgi, quæ, ut scripsit Aristoteles, maxime expetendæ sunt, cum ad rationis criterium efformandum, & veritatem assequendam præferant facem.

Volupe fuit itaque huic adolescenti, ut de rerum coelestium contemplatione traditum est ab Aristotele, qualemcumque hujus disciplinæ peritiam habere, quam plerasque alias artes perfecte callere, *quemadmodum amatoribus suavius est amicæ suæ, vel partem oculo delibare, quam aliarum tota membra, corpusque inspicere,* & primum in Geometriæ stu-

ſtudio, in quo maxime inclaruit, nec quidquam veritate prius, aut antiquius habuit, in Aritmetica vero, Phyſica, Mathematica, Geographia ornate, ac egregie inſtructus, de quibus omnibus inuſitata quadam dicendi copia audivimus de obſcuris dilucide, de confuſis ordinatim, ac diſpoſite, de dubiis enucleate eum differentem. Tunc temporis velut Apis ingenioſiſſima, quæ nonniſi artifex naſcitur *carpens ſtudioſa thymos, & compleat, ut dulci ſedula melle favos*, ſic ille mixtum quoddam dulce, & ſuave efformabat ex variis philoſophorum ſectis, ac opinionibus, de quo ingenui, ac ſapientes viri ſaturarentur, non autem ſcioli, ac blaterones Aliis, & Cæpis Ægyptii aſſueti, ut olim gens populi Iſraelitici exclamavit de Manna cibo æthereo: *Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leviſſimo*.

Ignotarum rerum tamen ſemper magis deſiderio flagrans Morandus nunquam contentum ſe dixit, in Mathematicis ſolius Euclidis elementis, neque Ariſtotelis opera ſatis in philoſophia evolviſſe, neque in Geographia ſolas Ptolomæi tabulas, ubi antiquus orbis deſcribitur, tantum obſervaſſe, quin majora mente concipiens in votis non haberet altius inquirere, & curioſa indagine identidem exquirere rerum rationes, & cauſas, & naturalium rerum aperire phænomena, & multo certius ab his, quam ab illis principia, & cauſas inveſtigare, & tradere.

At fortaſſe viderer integritatem oratoriæ fidei fabuloſo cultu polluere, & plurimum gratiæ, & obſequii ei tribuiſſe, niſi loquerer ea in urbe, in qua antiquæ dicendi facultatis, & copiæ non leviter impreſſa veſtigia cernuntur, & præſentibus viris illis, qui altiſſimæ illius, ac ſublimiſſimæ mentis admiratores fuere, ac teſtes. Horret, ac refugit animus progreſſus omnes recolere, quos mens illa, quæ in ſe comprhendit ampliſſima cœlorum ſpatia, quæ cœleſtium orbium numeros, quæ ſtellarum errantium motus, quæ terræ ipſius remotiſſimas, ac pene abditas partes

non-

nondum absolutis minorennitatis annis rite executa fuit; ut unus ille supra animi dotes iisdemmet disciplinis tanta sibi ingenii præsidia congesserit, quanta vix in alios grandior ætas fuerit elargiri.

Incredibile dictu est, quantum dignitatis, honestatis, & gratiæ ejus animo contulerint catenatæ istæ facultates, quantum ex Geometriæ studio facile in medicina apprehenderet ossium situm, exarticulationes, & membrorum ordinem, quantum ex Aritmetica velocitates, ac potentias humorum in corporibus edisceret, & quantum ex mathematicas demonstrationibus succrescerent philosophicæ contemplationes, & iisdem amplissimus pateret campus ab indefinenti lectione Ephemeridum Parisiensium, ac Italicarum, quæ per hebdomadam ad suas manus pervenire solebant. Verum si cui alio competunt laudes celebratissimi Salviati eum magistrum fuisse perfectissimum in omnibus facultatibus, egregio Morando quidem magis convenire debent, & jure dicendum perfecte tantum calluisse, quanti reminiscebatur, & tanti reminiscebatur, quantum in monumentis scriptorum perlegerat, tantumque perlegerat, quantum adhucusque in omni pæne materia scriptum, atque typis, ut ita dicam editum fuerat, quin immo juvat hic referre illarum rerum reminisci, de quibus nunquam scripsere, idque latiali quodam eloquio scripsisse, quod alii fortasse nunquam perlegerant. Fateor ergo, & audacter dicam, perspicacissimum ingenium naturam ei indulsisse a studio excultum non intercepto litterarum studio, nec moram, nec requiem ei fuisse, nullas ferias, nullum Sabathum, nec alia unquam otia mentis persensisse, quam quæ fraudans somno noctibus studiis suis vindicasset. Admiratione dignum, *qua se se albo gurgite tolluut Solis equi lucemque elatis naribus efflant* consuevisse Morandum ad medica munia consurgere, & venustate quadam eruditi palloris excultum se totum horarum spatio occupare in fasci-

culis

culis epistolarum ad amicos scribendarum, inde vero ad lecturam descendere Scriptorum recentiorum, ex quibus quidquid frugis aut ad scribendi ornatum, aut ad obscurarum, & involutarum rerum intelligentiam, aut ad sanitatem gentium servandam exprimi poterat, id omne summa diligentia excerptum, & in brevi commemoratorio omnia adnotabat, ut opportunitate facta libros suos ditaret, sibique exculti philosophi gloriam & nomen compararet.

Jure ideo tanquam ex oraculo edidit Plato *tum demum beatas respublicas fore, cum aut philosophi regere cœpissent, aut qui regerent philosophari*, cum *nullum* subdit idem Plato *a Diis immortalibus impertitum est hominibus philosophia majus, aut præclarius*, in qua securitas urbium, & novum triumphi genus positum sit. Atque hoc illud est, quod in Alcibiade minore scriptum legimus *sine scientia ejus*, idest philosophiæ, *quod optimum est, ea quæ suapte natura præstantia sunt ad perniciem, non ad salutem operari*, quod in ægris verificatur, qui se totos medico concrederint philosophiæ jejuno in curatione gravis alicujus morbi. In commendationem tamen egregii Morandi elogium magnum refert hic Tullius *unum diem ex ejus præceptis actum immortalitati anteponendum*, cum in diebus suis multum in philosophia profecerit differendo, communicando, scribendo, atque herculeis ex ore catenulis devinciendo, quæ Morandum nostrum excultum philosophum constituerunt, & ornarunt, vixque verbis effari datum, quantum contulerint, ut optimum medicum efformarent, & tam longe prospiceret in medica facultate, quod Orationis meæ alterum est, quod demonstrandum suscepi.

Quantum societas, & cognatio disciplinarum omnium apud veteres culta foret diligentia, ac prope religione, hinc intelligi potest, quod neminem in una excellere arte, qui non omnes attigisset, posse opinati sunt, adeo ut non philosophis, vel medicis solum cognita esse

opot-

oportere omnia, ſed ne artifices quidem humiliores ſine philoſophia, ſive univerſa quadam omnium diſciplinarum ſcientia recte in munere ſuo verſari poſſe exiſtimarunt. Quæ concordia, ſi cui obſervanda, eis in primis neceſſario videtur obſervanda, & procuranda, qui ſe omnium ſtudioſiſſimos eſſe Medicinæ profitentur, dum inquit Ariſtoteles, *ubi deſinit Phyſicus, ibi incipit Medicus*, quaſi vero, ut inquit Tertullianus, *Medicina ſoror fuerit Philoſophiæ*, ſive ars ulla ſine ope alterius probe intelligi, aut medica facultas poſſit ſine philoſophiæ potiſſimum notitia comprhendi, ſic logicas prius ſubtilitates Morando callere placuit, & curtum ſermone rotato torquere enthymema, quibus plus olei, quam vini aſſumpſiſſe, uti de Demoſthene ferunt:

Qui ſtudet optatam curſu contingere metam
Multa tulit, fecitque puer, ſudavit, & alſit.

Ut nota ſcilicet, & perſpecta ſibi haberet principia, & cauſas rerum naturalium, quibus egregia moles medicinæ innititur, uti nobiles architecti, quibus demandata ſit regiæ alicujus domus, vel alicujus Ducalis Noſocomii extructio, eos videre licet *uſu Circini, & regulæ* Ichonographiæ ſtudere, nec non Orthographiæ *rectæ videlicet frontis imagini* Sciagraphiæ itidem *frontis, & laterum abſcedentium adumbrationi*, ſed maxime intentos videmus in ædificii fundamine ſtabili, & firmo, eum omnia ab ipſo dependeant, uti de Romana gloria diverſa in materia cecinit Ovidius: *Fundamine magno res romana valet, & præſide pendet ab uno.*

Philoſophiæ poſito fundamento immatura jam ætate animum medicinæ applicuit Morandus, & cœpiſſe conſtat præ ſcendi libidine, & litterarum orexi ſtare loco neſciſſe, & inter Anatomiæ oblectamenta ſedentem libris æque ac cadaveribus impalluiſſe, velut alterum Demoſthenem, quem tanto ſtudio flagraſſe ferunt, ut etiam doleret, & ægre ferret ſe, qui opus immortale tractabat, ſomnum capere fabris ipſis ad rem viliſſimam excitatis. Tantus

fuit

fuit in eo amor, & reverentia medicæ facultatis, nec non vivum desiderium se magis perutilem fore in medentium republica ad artis peritiam, & nominis sui existimationem comparandam, ut patriis laribus relictis Patavium profectus fuerit non contentus disciplinis, ut Plato, quas eruditissimæ Athenæ præstare poterant, ad Pithagoram navigavit, & Ægyptiorum Sacerdotes adisse referunt, ut arcana eorum prope perdisceret; sic egregium Morandum in Civitate illa scientiarum parente, & altrice ad aliquot annos commoratum medicæ artis periculum fecisse constat, & sub regimine clariorum præceptorum instructum evasisse in Anatomia, Chirurgia, Botanica, & in praxeos morborum exercitio brevi spatio sex circiter annorum. Vidit olim, & audiit adolescentem Civitas hæc in theatro anatomico magna juvenum, & professorum corona stipatum super longam animalium torturam, in quibus vivam anatomen exercebant, & super cadaverum dissectionem, quorum viscera lustrabant dubia movere, ardua enucleare, & veritatem in alto positam extorquere, & maxime in praxis medicæ studio multo se, quam alios inter cœtum adolescentum plura vidisse, multoque prudentius excogitasse, de quibus melius ad clarissimos suos præceptores vos provoco, A. O., Vallisnerium, & Macoppe, qui velut astra primæ magnitudinis in Patavino cœlo refulserunt, & perspicacissimi ejus ingenii æstimatores fuere cultores, & amatores eumque non semel admirati fuerunt ita factum a natura, ut industria vel calcaribus parum indiguerit in medicinæ studio, sed fræno potius ad naturam per se valde effervescentem sustaminandam, & acumen ingenii sui temperandum. Nihil tamen amori litterarum difficile, nihil arduum, nihil impervium est, nihil denique, quod ei moras nectere, vel obsistere possit, si animum occupaverit. Neque illi poetæ frustra alas addiderunt. Evolat si quo aliter pervenira non potest, cumque medicinæ amor intima quæque occupasset, & *ima*

ureret serpens flamma medullas; tunc medicina illi cibus omni tempore, & ætate tunc pastus proprius, ac naturalis eo alebatur, reficiebatur, & saturabatur; nunquam ab aspectu desistens velut Aquila generosissima in facie Solis oblectamenta sua, & virtutum illecebras pascere, & fovere in medicinæ studio.

Ne pigeat tamen, A. O., intenta oculorum acie intueri *Aquilam hanc grandem magnarum alarum longo membrorum ductu plena plumis, & varietate, quæ venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri.* Redux in Patriam Vir iste solertissimus peregrinis mercibus, & spoliis onustus Finariensium, & Mutinensium omnium simul oculos, & ora in se conversa habuit, & cæteris eminere visus fuit elogio illo Homerico dignus: *Unus homo medicus multis æquandus honore est*, qui si non a gadibus usque ad auroram, & gangem peregrinationem susceperit, vel adeundo non excelluerit Galeni exemplo, tantundem tamen famæ, & doctrinæ sibi stando acquisivit in Patavinis Gymnasiis, ac si peregrinatus fuisset, eum una in urbe degerit, in qua litteratorum coetus hospitari videtur, & alte lateque diffundi electiores Libani Cedros, e quibus ad instar Aquilæ illius generosæ, quæ in Ezechiele describitur: *summitatem frondium avulsit, & transportavit in terra Chanaan.* Felicia tempora! Felices urbes Fori Cornelii, & Novi in Liguria, quæ pronis auribus eum in gremio suo exceperunt non minori expectatione, ac olim magnus Hippocrates ab Abderitis ad curandum Democritum evocatus, & feliciori dein successu experti fuere, in quantum civium commodum, & opem cessura esset optima hujus medici electio, & quanta securitate deposituri essent Parentes Liberos, Mariti Uxores, Sani Ægrotantes in manus Medici veræ, & solidæ medicinæ cultoris! Vix enim medicum forum ingressus ille pro patrocinandis ægrotorum causis egregia illico præstitis virtutis suæ medicæ specimina in popularibus constitutioni-

tionibus Febrium, Pleuritidum, Aluifluxuum, aliorumque id genus affectuum, in quibus nſſitium practici expertiſſimi viſum eſt adimpleviſſe, & ea quæ artis ſunt mirum in modum executum fuiſſe, maxima primum diligentia, cui, ut inquit Seneca: *melius inter ſollicitos aſſiſtit, ad ſuſpecta tempora occurrit*, & nullum miniſterium oneri illi, nullum faſtidio fuit in vulgari, & proletaria gente aſſiſtenda pluſquam nobiles, & egregios viros; quam non abſimilem diligentiam me legiſſe memini in Hyeronimo de Paulinæ laudibus differente Epiſt. XXX. Deſcribam ego, ait Hyeronimus, nunc diverſas hominum calamitates, truncas nares, effoſſos oculos, ſemiuſtos pedes, luridas manus, tumentes alvos, exile femur, crura turgentia, & de exæſis, ac putridis carnibus vermiculos bullientes? quoties morbo regio, & pedore confectos humeris ſuis ipſa portavit? quoties lavit purulentam vulnerum ſaniem, quam alius aſpicere non valebat? quæ omnia medicum exacte practicum conſtituunt. In hiſce omnibus in temporis circumſtantias præcipue intendit animum, *in quo occaſio eſt*, ut monet Hippocrates, *occaſio vero, in qua tempus non multum modela tempore aliquando, & occaſione contingit*, quibus ſane præſidus dicendum temperiem illam, quam Elementorum penſores ad pondus vocant vere obtinuiſſe, adeo ut neque pluſquam decet fuerit promptus ad agendum, neque ſegnior, neque plus æquo audax, neque magis quam par eſt meticuloſus, nonniſi in phlebotomiæ adminiſtratione, quæ ſicuti ei pro maximo remedio habebatur, ſic in morbis medendis non adeo vehementibus Hippocratis præceptis uti conſueverat eos corrigere ſola victus ratione, vel debilibus auxiliis, tanto magis, cum in ſenſu ipſius Hippocratis *melius ſit virtutem non exſolvere, quam ſanguinem evacuare redundantem*. In aliis vero medendi partibus nil inexpertum nil intentatum reliquit, quod ad ſanitatem ſartam tectam ſervandam non conduceret, vel ad amiſſam redimendam

 ope-

operam non præstaret antidotis, & alexipharmacis efficacioribus, atque Semiotices adjumento præcipue, in qua medicinæ parte ad Hippocratis imitationem accuratissimus observator evasit, ut cives eos nunquam constet reclamasse a subdolo morbo illum deprhensum fuisse, *nam conspicuum factum fuisset*, ut inquit Hippocrates, *palam omnibus hominibus, quod venti magno, ac tempestate ipsum deprhendente ignorantiæ, & erroris sui culpa navem perdidisset, e contrario eorum, qui in tranquillitate navim gubernantes, si delinquant, manifesti non fiunt.*

Non ibo sane inficias, quin majorem in dies felicitatem sortitus fuisset in curandi ratione, si finis politicus, ac circumspectio quædam in patriam remigrandi prompto, & expedito progressui curationum in civibus illis remoræ non fuisset, & catenam auream non detruncasset nobilium rerum gestarum, quæ postea in sinu patriæ suæ transfunderentur, *& poneret illa in terra pro semine, ut germinarent.* Neque enim potuerat Aquila hæc grandis, quæ tam in sublime alarum remigio ad prodigium usque conscenderat diu humi quodammodo repere, ac intra limites angustiores coerceri, nisi seposito pauxillum praxeos exercitio denuo studiis, & applicatione continua non discurreret, ut quod abditum ei superesset in medicina, & profunde repositum, in apertam lucem protraheret.

Hoc pacto in Patriam redux melius visum est expressam ideam præseferre medici illius, qualem optabat Pindarus, *hoc est ad manus promptissimum*, qui opportunitatem agendi agnoscat, quando scilicet properandum, quando cunctandum, quando periclitari, quando morbi impetum eludere oporteat. Non vacat hic recensere Endemios, Epidemicos, Sporadicos morbos, aliasve hujus generis affectiones, quæ per Finarium, vel propinqua loca grassabantur multis medendi formis mirabiliter curatas, quarum cum si nomina mille, mille nocendi artes fuerint, mille ex opposito curandi modis, mille remediorum speciebus

cito

cito tuto, & jucunde eis obstitit; unde elogium magnum Hippocratis sibi promeruit in libro de definitionibus: *Medici optimi, quia omnia in medicina recte egit ratione. Medici consummati, quia in contemplatione, & actione numeros omnes explevit. Medici demum philosophi, & hominis litterati, quia in consultandi ratione peritissimus evasit.*

Si enim conferantur emolumenta, & doctrinæ incrementa, quæ Morandum Medicum practicum efformatum vidimus in urbibus Fori Cornelii, & Novi, nec non in Finariensi Patria sua nosocomia adeundo, & vicatim ægros quotidie invisendo cum eo emolumento, quod retulit ab usu consultationum cum doctioribus medicis, cum quibus vicissitudine litterarum imaginem præstantiæ, & doctrinæ mentiebatur neminem fore arbitror, qui mecum non sentiat longe majorem profectum intra patrios lates consecutum fuisse, majorem rerum cognitionem, prudentiam, & famam in transcribendis epistolis, & mirabiliores morborum curationes absentem fecisse consultationibus, quam venam tangentem ad ægrotum lectulos. Jam desiit esse in hoc vito tritum hasciom a, *aliud esse videre ægrum in lecto jacentem, aliud in libro descriptum*, cum in eo pari fortuna, & felicitate processerunt, & ratiocinati, & operati, neque diversum acutis, ac chronicis morbis mederi per epistolas, ac si in morbis satellitium simptomatum, insultuum reciprocationes, & ægrotantes ipsos in suis lectulis tanquam in Euripo se jactasse ipsis oculis vidisset. Perraro ea, quæ ad medicos conscribuntur pro singulari, & perfecta informatione sufficiunt, cum ii, qui ad pauca respiciunt, inquit Aristoteles, facile decipiantur, aliquando supervacaneis necessaria implicentur, vel confuse admodum referuntur, & fortassis aliqua, quæ ad optimum studium faciendum requirebantur, ommittuntur, quod utique verum in hisce casibus difficile judicium esse, imo periculosissimum artis, & artificis honori de morbi natura asseveranter judicium pro-

 ferre,

ferre, nisi defectui informationis suppleat profunda pathologiæ cognitio, atque intelligentia in omnibus exquisite perpendendis, & mutationibus prænunciandis, quæ per momenta non raro accidunt, & inopinato enascuntur.

Hac in re instructior, & paratior ad agendum se exhibuit Morandus non aliter ac Navita in futurarum rerum præsensione, & signis expiscandis ut ut parvis, & pusillis, quæ sinistri aliquid portendunt, vel magnarum tempestatum solent esse prænuncia. Memoratu tamen digna est singularis ea facultas non omnibus concessa recte consiliis prodesse insolitis, raris, & difficilibus morbis, & absentem aliis subvenire mutando, addendo, regendo, & quid, quomodo, quo tempore ad unguem deliberando ad normam mutationum in morbis, quos certe ad prodigium feliciter curasse manifestum est ex innumeris scriptis aureis, & consultationibus medicis, quæ pænes laudatissimam Viduam Uxorem ejus extant typis quamprimum mandanda. Nonnisi partus perspicacis ingenii, & profundi Semiotices studii fuerat de indicationibus, quæ ad morbos curandos necessariæ sunt, ab iis, quæ instabiles fuerant certas indicationes desumere posse, & remedia tuto adhibere, cum passim accidere possit, dum consulunt medici, ut post semihoram indicantia varientur, & ex morbo morbi succrescant, aliaque adveniant, quæ aliter indicent. Quas quidem indicationum variationes quæ medicorum consilia vel irrita faciunt, vel in perniciem convertunt, lynceis oculis prævidere valuit, & remedia accomodare indicantibus successivis, ut ad morbos fugandos haberent vires, & indicatio foret non de præterito aut futuro, sed de præsenti, & præsentia in sensu Aristotilis accidens construeretur inseparabile indicantis.

Nunquam sane in consultationibus morborum, quoe longe curandos suscepit, vel implicata informatione, vel notione nulla temperamentorum se deceptum fuisse audivimus,

vimus, vel ab iis se excusasse ut olim Galenus ab absentis pueri epileptici curatione scribenda, cui mederi respuit a Cæciliano amico suo licet rogatus, quia puerum hunc nunquam viderat nec a principio qualis ipsius natura foret, qualisque ob ægritudinem cognovisset. Quod tamen Galenus ipse mordicus sustinuit absentem medicum in magnis morbis bene mederi non posse, id ipsum egregius Morandus coarguit factis, & experimentis præstitisse videlicet, ac juvisse magis ægris absentibus, & majora doctrinæ suæ specimina per consultationes, quam ad ægrorum lectulos præsetulisse. Adeo verum est, quod honorabilis contentio, & mutua societas medicorum etiam per epistola stimulos addit, & doctos in scientiarum trahit amorem, *modo alit*, ut inquit Vellerius Paterculus, *æmulatio ingenia, & nunc invidia, nunc admiratione incitat accendit*, & in magnis deliberationibus, quod fieri expedit lumen, & rationem præbet; ut ægritudines medica ponderentur trutina, inquiratur de causa, examinentur signa, & morbus, susque deque perpendatur: *Quid ei præstitisset*, verbis utar Ciceronis, *habere sapientiam, si consilium denegavisset, si consulendi copiam interclusisset? Clausisset fontem, ut nec aliis influeret, nec sibi prodesset*, neque minus summum honorem sibi promeruisset, ut gentes undique morbis correptæ ex vicinis oppidis, ac regionibus ad eum consultandum convenirent, & medici ipsi celebriores difficilium morborum causam subiicerent judicio suo, & utile aliquid expostularent in chronicis, & desperatis affectionibus. Innumeratæ ideo ineditæ adhuc habentur medicæ consultationes, quas cum doctissimis viris Vallisnerio, Macoppe, Laurenti, Vansvieten, Morgagni, Bertini, Torri, Davini, Mollinelli, Azzoguidi, Pozzi, Beccari, Bianchi ex Arimino habuit per epistolas, & cum quibus ad annos honestum certamen ex Hesiodo exercuit præter alios medicinæ viros, qui ægrorum lectulis

12

assidentes de dubiis, & infidis remediis eum sciscitati fuerunt, & comitem indissolubilem voluerunt in periculosis morborum curationibus prout medicum omnium ferme votis approbatum, & auctoritate, & doctrina commendabilem. Hic quippe, ut vetus fert proverbium *tamquam gladiator in arena* arripuit *consilium*, ex vultu adversarii, ex motu, & inclinatione corporis, ex pulsu, & reliquis ægritudinum signis, & moribus accurate iisdem consulat ea peragendo, quæ optima curandi methodus, & morbi conditio, viresque expostulabant, taliter ut juxta Hippocratem prænoscens, & prævidens apud ægrotos, & præsentia, & præterita, & futura, & quæ ægrotos prætereunt exponens, fidem fecit, quod ægrotantium res magis cognofcebat, unde *victoriam*, ut ait Euripides, *ferme semper in morbis expectare a bona consultatione*, eo maxime quia celebratissimus Capivacceus illos solum medicos doctos nominet, *qui campum ingrediuntur consultandi, & arte officium suum exequuntur. Quandoquidem hæc una medici docti ab indoctis distinguuntur.*

Videant nunc, & audiant ii, qui ingeniorum hebetatam nunc aciem esse ab ipsa quasi defatigata natura, & tardiora hoc tempore sibi repu~~tans~~, quam olim humana ingenia dum ille omnino antiquitatis non æquavit modo ingenia, verum longe multumque superavit, unius labore, unius ætate, & quam etiamsi ab obscuro, & inexplicabili quodam quasi involucro implicita referando, & multa palam faciendo medentium reipublicæ, quæ nonnisi multorum hominum industria, & annorum spatio in apricum eruenda videbantur.

Animadversione tamen dignum erat ad mentem jejunam recreandam librorum lectione hujus exercitationis nunquam capere fastidium sed operam, & scriptorum varietate novum semper curiositatis suæ pabulum invenire, non secus ac ad nova convivia identidem accessisset, & hoc

hoc pacto doctrinarum novitate, eruditione, rerum peritia mentem replere, ac ut ita dicam sese infarcire, & quæ observatione digna crediderat e scriptis authorum decerpere solitus erat, & prompte, ac sine mora in schedula adnotare ad exemplum Plinii Historiæ naturalis conditoris, ut in quadam epistola refert Plinius junior, in itinere Notarium habebat cum libro, & pugillaribus, ne illum caperet oblivio, quæ postea cum ad Hospitium divertisset, in commentaria referebat. Ab hac enim librorum copia, in quibus nunquam desiit vires, & patrimonium fatigare, mira quadam sagacitate peritissimus evasit in eligendo bonum a malo, melius ex bono, optimum ex meliori, aptissimus ad nova invenienda, & memoriæ, ac posteritati mandanda, quodque præcipuum est inter diversitatem ancipitum sistematum noscere perfectissime, & separare verum a falso, a minori majus probabile, & de iis demum recte sentire, ac judicare, quorum vix alii reminiscuntur.

At vero quantum ob hoc mentis ornamentum summa laude dignus foret egregius Morandus cunctis plane innotescit, qui fungum non habeant pro cerebro in perlegendo, & examinando opera, & immortalia monumenta ejus Medico-Philosophica, & oh Utinam, quod mors ultima linea rerum vitæ, & operum insimul stamina non abrupisset, neque desiderii eorum jaculo vulneratos nos reliquisset, & dolore confectos in expectatione secundæ illius medicæ Decadis, quam edere in lucem quamprimum promiserat, nec non alterius Tractatus de Febribus, quem in obitu Authoris prælum fatigantem intelleximus, & Typographum pro complemento operis nonnisi fragmenta quædam, & notariunculas expectare. Sed quid manca, & imperfecta opera commemoro, cum tantum in lucem edita, & perfecta vobis recensere mihi in animo sit, ex quibus argumentum nactus mihi videor, quod ob

novi-

novitatem attentione vestra indignum non fuerit. Nam si sedulo unumquemque ejus litterariom laborem percurramus, sive in forma epistolari, sive in consultatoria descriptum, in iis observare est Authorem præprimis in animo habuisse necessaria semper, & proficua humanæ valetudini typis mandare opera, de quibus medicinæ oracula prorsus obmutuissent, sive pauci levidensia scripsissent, & hinc structuram operis, quæcumque fuerit lumine verborum, & colore seotentiarum scienter illuminare, & peropportune distinguere, quo magis instante lectorum ingenia ad oblectationis illecebram succenderet, & regimine, ac methodo proposito in curatione morborum traheret ægrotantes ad obtinendam valetudinem, qua nihil optabilius est in hac humana societate.

Quod autem a nonnullis naturæ beneficium reputatur, portentum ætatis est, rarissimum munus, quod a divina beneficentia paucissimis elargitur, ea scilicet ingenia, quæ ad judicia efformanda idonea sunt minus apta deprhendi ex se solis ad novas res inveniendas, examinandas, & nova sætura illustrandas, hoc maxime in egregio Morando prospeximus, qui præter miram suam sagacitatem in inquirenda veritate in opinionibus, & sistematibus aliorum inventor fuit etiam rerum memorabilium, & remediorum præcipue inservientium ad morbos exitiales, & contumacissimos debellandos, uti videre est in opusculo typis edito anno MDCCLIII., quod titulum in fronte præfert: *De curatione Variolarum cum China China & Balneo tepido*, inde in altero in lucem emisso anno MDCCLV. quod inscribitur: *De cura præservativa Hidrophobiæ*. Non poterat melius ex miscellana turba remediorum, quam non immerito arenam sine calce quis dixerit efficaciora propinare in Variolosis, quam Hieron hoc Picron ex arbore vitæ decerptum ad humorum putrefactionem vitandam, & Balneum tepidum ad duritiem cutis,

cutis, & ſiccitatem emolliendam, e cujus laxitate facilis fit eruptio variolarum. Nec minoris præſtantiæ ſunt Turbith minerale, & Moſchus in rabie cannina, quæ longa ſerie obſervationum ſuffulta tradit Author, & quod præcipuum eſt ait ægros conducere ad Criſim perfectam medio Ptyaliſmo, vel Diarrhæa, vel ſudore, quas evacuationes criticas ſubdit facilius excitari vi electrica promoveri melius, & adaugeri, cum tubi in interiori ſuperficie materiis medicinalibus, & eodemmet Mercurio obducti fuerint.

Adeo verum eſt, quod Hippocrates in votis habuit, nimirum quod *invenire aliquid eorum, quæ nondum inventa ſunt, & quod notum, quam occultum eſſe præſtat, ſit Scientiæ opus, & votum*, quod ſuis cultoribus uberem gloriæ meſſem quidem reddit, ſed tamen mentes non obcæcat nec lumen aufert noſcere ſe, hoc eſt noſcere animum ſuum, & ingenua confeſſione errores ſuos in arte fateri. Quoties igitur audio Apollinem reſpendiſſe Cræſo *beatum eum fore, ſi ſe cognoſceret*. Quoties præceptum idem in templo delphico inſcriptum fuiſſe lego, toties mecum ipſe reputo Decadem illam Epiſtolarum familiarium, quam in lucem edidit anno MDCCXLVIII. non jactantiæ aleam, vel vanæ eloquentiæ oſtentationem fuiſſe, uti perperam ab iis medicis, qui *præter pallium, & barbam ſophiſtæ potius ſunt, quam philoſophi*, ſed perfectam ſui ipſius cognitionem, & cognitionem profundam artis conjecturalis, cui ſe addixerat, eo modo expreſſam ac illam Galeni, & Hippocratis, cum ſe a Suturis publice deceptum eſſe, ne poſteri errarent, confiteretur; & colica paſſione ſe mulctatum fuiſſe, dum putaverat ſe renum dolore laborare.

Neque enim in exilibus hiſce voluminibus tantum oſtendit egregius Morandus, quantum ei mens fæcunda foret in ſcribendo ornate, quantum ſublime ingenium in inquirendis morborum cauſis, & remediis, ſed egregia tunc temporis cœpit præleferre doctrinæ ſuæ ſpecimina,

cum

cum eruditam Epistolam celebri Vallisnerio inscripserit in libello descriptam: *Nova idea mali contagiosi Bovum comunicata a Doctore Carolo Francisco Cogrossi*, & alteram pariter insertam in Libro *de Potu vini calidi Johannis Baptistæ Davini* præter alias tres criticas in Doctorem Johannem Paulum Ferrari Florentinum, in quarum prima sustinet *aerem nequaquam compositum esse ex rarefacto aere*, in secunda *generationem ex ovo fieri*, in tertia *dulcia non amara vermes interficere*, omnes tamen splendore verborum, & rationum momentis illustratæ, ut vere dici possit, quod in omni sua litteraria suppelectile non tam adesse cum laude, quam deesse cum dedecore videatur ars sua ornatissima scribendi. Hæc astitit ei tamquam regina a dextris, astitit uti Pallas armata consilio, ut ut fortis, ac strenuus Athleta ad depugnandum in litterario certamine, nec exile typis editum opusculum fuit, in quo sese ipsa magnifice circumspiceret, & uti de Tullii eloquentia melle dulcior, torrente vehementior, flumine gravior flueret, exundaret, prorumperet, ut in oratione habita ab eodem in Academia Fluctuantium in reditu Serenissimi Ducis Mutinæ, & in Medica Scriptura Medicorum Conjecturantium circa testamentum Antonii Lazari Carpensis pro venerabili Societate Divi Rochi ejusdem Civitatis, nec non in ipso consultationum campo, in quibus dubiis hæsitantibus ægris non satisfaceret, & tamquam laxatis, retractisve habenis desides in medendi arte non instigaret, non reprimeret præcipites, non inertes accenderet, aliquando ipsa non arderet suasque vicissim faces non raro admoveret aliis. Loquor nunc, A. O., de scientificis aliis fragmentis, quæ in exteris Ephemeridibus inserta fuerunt, quæque ei mens erat, si vixisset, omnibus manifestum facere ex proprio suo pænu deprompta fuisse. Loquor de problematum solutionibus, de observationum infinita serie, de compositionum summa præstan-

ftantia, quæ ad Academias Italiæ celebriores ad annos mittitare folebat. Dicant præcæteris Medicæ Societates Lutetiæ Parifiorum, Vindobonæ, Neapolitanæ, quibus tam arcto nexu comes indiffolubilis devinciebatur. Dicant inter Poetas Academia Foroliviensis, Albriziana, eaque Arcadiæ Romæ nomine Podalirii Phœbæi, multas alias filentio prætereo, in quarum cenfu repofitus, & plenis fuffragiis habitus non femel in axe anteriori currentem occupavit locum, & fociis omnibus ita carus, atque acceptus, vix ut quifquam unus uni carior fuit, quam unus hic univerfis, qui manu, & confilio tanta geffiffet, & ad eos honores doctrina perveniffet, ut abunde ad gloriam quafi vixiffe videretur, in comitiis tamen focietatum non defiit fodalitatis muneri fuo rite fatisfacere obfervationum novitate, & compofitionibus poeticis non minus, quam medico-philofophicis, quas licet Italico idiomate exteris traderet, ac remotiffimis Academiis, nihilominus cum plaufu, & expectatione femper compertum eft exceptas fuiffe, & in fumma habitas exiftimatione.

Nolim tamen quis putet, fi ei volupe fuit opera fua italice fcribere, nullam idcirco peritiam habuiffe, & profundam cognitionem Latinæ non minus, quam Gallicæ, Anglicæ, & Græcæ Linguæ. Si enim Græci, & Latini, Phœnices, & Arabes, Hebræi, & Ægyptii, Chaldæi, & Affirii fcribendi cacoethe detenti in animo infculptum femper habuere idioma fuum in operum editione aliis præponere, & nativa lingua concepta mentis exprimere, nil obftat, quin egregius hic Scriptor, etiamfi in variis linguis expertiffimus potius elegerit opera medica fcribere Italica compta lingua, nec ab ea fe removere prout nobili, & excelfo præ cæteris idiomate, de quo certe alii fcriptores ad parergum quafi balbutientes deprehenduntur, ut olim de Ariftide circa Athenienfium locutionem dicebatur in comparationem omnium aliorum Græcorum. Va-

ticinia tamen procerum jamdudum impleta sunt, quod scriptor omnis qui opera in nativo suo idiomate in publicum ediderit, sibi famam, & existimationem comparabit. Ecquis precor melius præstantiam noscere italicæ linguæ poterat, & lumen, & Auctoritatem præbere egregiis Morandi operibus, quam insignis medicus Antonius Leprotti, cui Decadem epistolarum familiarium dicavit. Ecquis a calumniis & obtrectatoribus, quasi sub umbra grandium alarum fovere, & tueri, quam Principissa Mutinæ Theresia Cybo, & Enricetta Hassiæ Darmstadt nobile germen Familiæ Æstensis, quarum primæ Variolarum curationem, alteri preservationem Hydrophobiæ in obsequii argumentum litavit. Addidit ei ulterius præsidium, & decus Princeps Hassiæ Darmstadt, cui ab anno MDCCXXXV. placuit eum magnificis decorare verbis, & honorarii medici honestare titulo.

Laudibus, & gloriæ Morandi nostri metam posuit, & dixit Hercules Raynaldus Atestinæ gloriæ æmulator felicissimus, qui eum cœtui Archiatrum adscripsit, & Consiliarii medici titulo honestavit. Ubi enim vox dignitatis perstrinxit aures ejus, diu hæsit ingenui pudoris plenus, quid ferre possent humeri, quid recusare in tam ardua, & onerosa provincia, numve exequi potuisset, quod loci gradus, & personarum sublimitas expostulabat. Parum abfuit certe, quin dignitati opportune se non subduceret, nisi conscientia sua contentus non vixisset dignitatem non ambitu, nec artibus quæsisse, *neque per cochleam ad medium cœnaculum templi ascendisse, sed per scalam rectam, & amplam, per quam honorifice ascenduut ii, qui per virtutes, & merita vocati in templum veniunt*, ut egregius Interpres. Dum vero ad populorum prosperitatem magnum habeat momentum prospera Principis valetudo, æquum sane est, ut pro determinando Archiatro aliquo opus sit delectu, in quo prærogativæ quædam emineant,

quas

quas non tam facile sit in cæteris reperire, & quibus supra vulgarium medicorum sortem assurgens in aula Principis bene mereri posset. Ad munus ideo obeundum præstantiorem legemere non poterat magnanimus Princeps cui melius concrederet sanitatis propriæ tutelam, quam egregium Morandum qui ad normam legum ipsarum communi meliorum judicio fuerat comprobatus, ut in Archiatri ministerio eligeretur, uti Medicus, & vere Theoricus, & exacte Practicus, cui præter communes artis dotes alia accesserant ornamenta, ut in Geometricis, Arithmeticis, Philosophicis, & Physica experimentali, quæ si non meliorem medicum, doctiorem tamen, & Principi gratiorem constituissent non solum in adversa, quam in ejus firmiori valetudine.

Verum ignoscite quæso, A. O., si quodammodo tantis dotibus abreptus usque modo patientiam vestram defatigavi longo verborum ambitu, & onerosus nimis fuerim auribus vestris in enarrando, quantum triginta annorum spatio in iste profecerit in Physiologicis, Pathologicis, in Therapeutica methodo, in re Pharmaceutica, Botanica, & Chirurgica quoque, & quantum medicinæ contulerit consultationibus experimentis, & observationibus. Detur ergo mihi hac ultima orationis parte vobiscum gratulari, qui tantum virum in præsidem Academiæ vestræ plenis suffragiis elegistis, eo pacto, quo Abderitæ cum Hippocrate qui ad curandum Democritum fuerat accersitus honorificentissime in sinu receptum per urbem acclamastis: *Hic sanitatis Pater, hic dolorum Curator, hic unicus Plato nobis pro omnibus est*, ut olim comicus Aristophanes. Ecquis precor medicus dignior, ecquis medicorum præses illustrior, ecquis præsidum aptior inveniri poterat, ut firmissima Academiæ hujus jacerentur fundamenta, leges conderentur, dignitates dispertirentur juxta virtutes, & merita Academicorum, quam egregius Morandus, cujus præce-

ptis

ptis scientificis vos erudire placuit; methodo; & arte instruere, & armatura communire ad hostium insurgentium tela retundenda. Liceat tamen paulisper digredi, & jucunda recordatione specimen vobis exhibere, cum ille velut alter Alcides Gallicus aurea catena devinctos trhaxerit, quotquot Mutinæ aliarumque urbium adjacentium medicinæ fuerant cultores, & amatores, primus ille ante omnes supra pectus gestiens doctrinam, & veritatem, ut in veteri lege, & in fronte conscriptum Epigraphe Præsidis perpetui Academiæ Conjecturantium benignitatem Principis deprecatus fuerit pro eadem Academiæ erectione, cui benigno, ut solet vultu annuit Serenissimus Princeps, & optatissimum Diploma propria manu obsignatum expediri præcepit æternum Academiæ nostræ monumentum, & decus postquam Academiæ valvis prominerent Æstenses Aquilæ, quæ nonnisi in sublimi, ac excelso loco figunt pedes. Hinc factum, ut mox Academiæ hujus panderentur fores, cæpit ille quidem cum dignitate dignitatem Præsidis sustinere, & quod opus esset initiato operi providere manu, & consilio. Satis prudentiæ, & acuminis præditus evaserat ad videnda ea, quæ vera, & recta essent, satis animi, & libertatis ad proferenda, satis auctoritatis ad obtinenda, nec aliud supererat pro Academiæ incremento, nisi quod Sodales Academici studia sua, & affectus animi æmularentur.

Hinc novum specimen in eo renasci vidimus *alterius Aquilæ grandis*, quæ in Ezechiele pariter describitur *magnis alis*, *multisque plumis*, *& ecce* Academiam vestram ideam præseferre *vineæ illius*, *quæ propagines emiserat*, *quasi mittentis radices suas ad eam palmites suos extendere ad illam*, *ut irrigaret eam de areolis germinis sui*. Ab hoc ideo mutuo connubio Aquilæ, & palmitum vinea hæc in terra bona plantata ad hunc finem instituta fuit, ut fructus produceret ad humanæ vitæ conservationem,

cui,

cui, uti Præſes deſtinatus Morandus tamquam fortis armatus cuſtodivit atrium ſuum, & ſicut Aquila protexit nidum ſuum, ac ſuper pullos ſuos deſideravit, nimirum ut alii alus ſuccreſcerent, & ingenio, induſtria, & ſtudio adoleſcerent, neque ſocordia frangerentur. In hoc itaque prout Aquila non minus ſollicita de incolumitate, & conſervatione pullorum ſuorum, quam generoſiſſima in ſublimitate volatuum, nunquam deſiit aliorum animos ad volatum incendere, & evectis alis provocare, ut altiſſime ſublimarentur liberalium omnium diſciplinarum ſtudio, quibus pro exemplari ſe propoſuerat. Nimis conſentanea eſt egregio huic Præſidi imago, in qua ſollicitudines Aquilæ effingunt divini codices in meticuloſos pullos ad volatum inſtruendos. Poſtquam enim in ſolis orbitam diu acie intenta oculos fixos detinuerit, deſiderio flagrans trahere eos ad radiantis illius luminis illecebras paulisper deſcendit, & pendula nido circumvolat cunctabundo volatu, qui inſtruat illos, & provocet ad volandum, cumque viderit eos minime ſtare loco, & ad nidi lymbum poſitos jam jam moras omnes fore rupturos, ſuper eos conſiſtit, & expandit alas ſuas, inde in ſublime protinus ſeſe denuo evehens, ingeminatis gyris ſuper eos volitans allicit, & provocat ad volandum, tandem advertens, quo libuit eorum veliſicatas alas, & nutu Elementi lævorſum, vel dextrorſum evolare, tunc enim mirabile viſu modo ſibi plaudens alis evolando præcedit, modo feſſa pennarum remigia circumtuetur, modo a roſtris, & uncis amovet deformium animalium eos ſuſtinet, eos incendit, eos urget, uſquedum ad metam pervenerint.

Hæc ni fallor, imago ideam præfert initii, & progreſſus Academiæ, hæc exprimit Moderatoris ejus ſollicitudines, curas, amorem, & operationes hæc maximos labores, quos pertulit, difficultates, quibus conflictatus, probra, & contumelias, quibus mulctatus in dignitate exer-

 cenda,

cenda, nec fortaſſe a ſollicitudinibus, & amore erga Academiam unquam conquieviſſet, niſi ſuperne improviſa mors generoſiſſimam Aquilam ſuſtuliſſet. Hoc igitur unum ſupererat tumultuariis Academiæ rebus, ut Moderator illius, quo uno ſe illa indigebat, atque ſolabatur, de quo cogitans, in quem intuens, omnino, quibus egerat, conſiliorum ſertem reponebat, cum ſecuritatem ejus ſtabilire cœpiſſet, immatura morte raperetur. O fallaces hominum ſpes; O incerta vota; O lubrica humanæ vitæ curricula! Merito occupata omnia luctu vidimus, oppreſſa lacrymis, præpedita ſingultibus, merito undique querelæ, & lamentationes circumſonant, nec præ livore ictericа ipſi obfirmato animo diſſimulare queunt dolorem ſuum, quin in verba erumpant filiorum Metelli Macedonii in obitu Africani. *Ite celebrate exequias: nunquam civis majoris funus audiſtis*: Verum nos magis præ cæteris dolemus eum abſentem, quem Præſidem, quem Moderatorem eligeramus, in quem omnis domus inclinata recubuerat, & cui ſpes futuri progreſſus concredita Academiæ, qui peritus in arte evaſerat contra ætatis ſuæ menſuram, & in ſenio etiam talis conſtiterat.

Omnes quippe virtutes corporis mutantur in ſenibus, & decreſcentibus aliis a pari friget ſapientia, quæ ſenſim ætate marceſcit, ad miraculum referentes inter philoſophos Pithagoram, Democritum, Zenocratem, inter Poetas Homerum, Heſiodum, & Simonidem ætate jam longæva in ſapientiæ ſtudiis floruiſſe, quibus inter medicos ævi hujus non abs re connumerare juvat egregium Morandum, de quo certe, uti de lingua Neſtoris Homerus refert jam veteli dulciorem melle orationem fluxiſſe dicendum, & ſexaginta duos annos in medendi, ſcribendique opere feliciter compleviſſe. Neque enim memoriæ tenacitatem, ut in reliquis obſervare eſt ſenecta diſſolverat, non calidi acumen ingenii frigidus ſanguis obtunderat, neque contractam exaſperarat rugis faciem arata frons, multo minus tremu-

la

la manus per curvos ceræ tramites errantem stylum ducebat. Omnes quippe in eo vitales, & animales functiones in summo vigore consistebant, & tale mutuum æquilibrium inter se servaverant, ut corpus solidum, & succiplenum habere videremus, pedes certa vestigia imprimere, & quod urget aciem mentis penetrantiorem, & fervidiorem in ea ætate, quæ in plerisque pars vitæ truncata est, ac membris multis præmortua, ad quam non raro paucissimi perveniunt, aut ad eam sic perveniunt, ut pervenisse pœniteant.

Dum vero ad evitanda damna, & ægritudines Morandus incumberet, quæ ad senectutem tamquam sorores, & comites prognatæ sunt, ad contraria sensim protrhaebatur litterarum studio; Nam dum cerebrum ea concoquerat, quæ sciendi libido, & litterarum orexis ingerebat, nonnisi male digerere potuit Ventriculus ea, quæ ingesta fuerant alimenta, & sæpe cum maxima oppletione, distractis spiritibus Animalibus, & circa intellectuale opus occupatis. Nulli enim præ cæteris litterarum professoribus studiorum laboribus magis atteruntur, quam qui operum editionem in publicum moliuntur, nominisque sui immortalitatem in animo habent insculptam. Hanc ob causam Vir egregius ab anno MDCCLIV. torqueri cœpit a violenta cordis palpitatione, quæ modo levior, modo gravior, & per intervalla plus minus longiora invadebat eum, cui sub ipso paroxismo velox, & anhela ferebatur spiratio, corporis languor, artuumque remanebat cum pulsu languido, intermittente, ac imminuto, quin interdum prorsus non sentiebatur in carpo. Huic cordis subsultationi opem medicam plurica præstitit oculatissimus Federicus Arlotti cum laude medicinam exercens in Finariensi Patria sua validissimis artis præsidiis, uti sunt Cucurbitulæ scarificatæ, Hirudines hæmorroidibus applicatæ, & largæ venæ sectiones, quæ sicuti in antecedentibus insultibus cordis ægro levamen, & ferme semper paroxismi sufflaminationem induxerant, sic persua-

sum habeo, quantum in arte conjecturali datum est vaticinari, quod venæ sectio tempestive adhibita medelam facile præstitisset paroxismo ingruenti XVIII. Kalend. Februarii MDCCLVI., & periclitantem eum forsasse subtraxissent ab Orci faucibus. Quænam vis, & violentia cariffime Arloiti Morando nostro magis proficua, & accepta nobis, & utilior hominibus unquam fuisset, quam circumire eum, perstringere perpetuo bello intelligentiarum, fatalibus vaticiniis medicorum deterrere, nec punctum quidem temporis ab eo vexando, & stimulando conquiescere, donec & usquequo a te proposito phlebotomiæ præsidio non annuisset, & methodo, & arti tuæ singulari in medicina facienda se totum non concredidisset. Si verum, ut ait Plato, *quod ratio sit animæ incantamentum*, non dubito, quin morus hæmophobi animi sui compofuisset ad fatendum, quod ex nimia plenitudine, & orgasmo sanguinis, palpitatione cordis correptis contingere potest, si cor ultra sphæram elasticitatis adeo distendatur, ut se constringi nequeat, in lethalem suffocationem, ac syncopem elabi, & abfolvi. Ast in irritum, ut referunt, cessere labores violentiæ, & perfuasiones, ut se sanguinis missioni acquiescere vellet, hinc evolabat irrevocabile tempus, & id ipsum, quod dicebatur, quod contendebatur, quod legebatur, de vita sua tollebatur, & quot puncta suæ mentis velitationum, tot suorum damna erant temporum, & ætatis suæ momenta sensim minuebantur: Defacto post insultus cessationem XVII. ad XIV. Kalend. Februarii nonnisi principia levioris commotæ valetudinis sensit, ut jam sibi in animo proposuerit, postquam valetudinarios dimisisset, qui de more venerant consulere eum, de domo sua egredi, cum haud multo post ad cubiculum ut rediit, & vestiendi animo, forti Syncope correptus tamquam ad fulminis ictum humi prostratus procidit, uti gelidum cadaver, & cadendo moribundam vocem sanguinis pronunciasse referunt,

sed

ſed dimidiatam faucibus hæſiſſe, unde non alius ei poſtea morbi, quam vitæ finis fuit, quod eſt *per ſapientiam mori*, ut inquit Plinius, ſive *per deſipientiam*, ut Mercurialis de Phrenitide, morbum tamen, quem medici nondum adverterunt, & tamen adeo frequens, & creber in litteratorum familia, quorum alii ſtudiis, & laboribus confecti, aliquando pereunt antequam pariant, alii poſt editos fœtus morbis male plectuntur, & morte ipſa quandoque mulctantur pro ſoſtro, & onorario laborum ſuorum.

Felicem te, utar verbis Alexandri magni Macedonis, cum ad Achillis tumulum perveniſſet, *Felicem te, qui magno fruaris præcone meritorum*, & cineribus tuis tandem pepercit livor, qui in vivis paſcebatur. Si quantum in me doloris eſt, tantum eſſet ingenii, ſperarem de te ea depinxiſſe, quæ pingi non poſſunt, & decoraſſe te ſatis ſuperque in titulum ſepulchri, quod nec unquam certe ſubire auſus eſſem, niſi & mea me multis ab hinc annis ſuſcepta erga te obſervantia, ut id facerem adduxiſſet, & a pari me coegiſſet ſodalitatis munus in Academia Conjecturantium: Ecquis unquam mente reputaſſe: morientem illum debuiſſe amare flere eos, qui vix cœperant in vivorum ſtatione noſcere eum, & admirari, ſive ante amare incœperant, quam noſcere, ut non tam laudandus eſſet, qui eum amaret, quam piaculum non amaſſe: *Beati tamen, qui te viderunt, & dilexerunt, & amicitia tua decorati ſunt.* Nam ex te ſolo quidquid bonæ, ac ſinceræ frugis philoſophicæ, & medicæ inerat, collegerunt, & ad morbos præcavendos, & fugandos habuerunt ab inexhauſto tuo pænu. Nemo ad te acceſſit, quin doctus abiret, nihil fuit, quod quis diſcere vellet, quod cū docere non poſſes. Quanto magis, A. O., nobis jure ac merito dolere fas eſt eum abſentem, & quaſi ab Academiæ ſinu divulſum ſuſpirare, cujus humeris nos inſidentes tam longe proſpexeramus. Sed

quoniam obligato parumper vulnere in dicendis laudibus ejus adeo lætati fuetitis, non juvat, ut doleatis amplius, quod talem amiferitis, fed gaudeatis quod talem habueritis. Nam *mortuus eſt* egregius Morandus, *& quaſi non eſt mortuus*, utar verbis Sapientis, cum magni Heroes, ut inquit Ennodius, *neſciunt obitum, vel ſepulti*. Vivit enim, & perſtat immortale nomen ejus in operibus in lucem editis. Vivit apud remotiores medicinæ Academias, & celebriores litterarum profeſſores. Vivit, & perſtat honos, & cultus apud eos, qui morbis gravioribus, & periculoſiſſimis correpti ſanitatem obtinuerunt. Vivit apud nos, & æternus vivet amor, & follicitudo ejus in inſtitutione Academiæ noſtræ, in legibus prolatis, in præceptis traditis. Vivent demum, & ſtabunt imposterum altæ repoſitæ innumeræ beneficentiæ, quas placuit ei larga manu in ſinum noſtrum profundere. Quare ſepulchrali ejus lapidi non mihi meliora ſuppetunt verba ſuperaddenda, quam ea, quæ diruto Coloſſo Rhodi inſcripſit Plinius:

Jacens adhuc miraculo eſt.



D.O.M.

D. O. M.

MORANDUS MORANDI
Finarienfis
Philofopho - Medicus, & Poeta
Patavii
Ætate viridi
Antonii Vallifnerii Auditor, & Cultor
Tanto Præceptore
Facultati Medicæ, & Chirurgicæ
Se totum devovit
Et qua Scriptis, qua Voce, qua Solertia
Theorice, & Practice Medicam Provinciam
Peragravit, coluit, & egregie illuftravit.
Laudibus, & Honoribus cumularunt
MORANDUM MORANDI
Lutetiæ Parifinrum, Vindobonæ
Et
Neapolitanæ litterariæ Societates
Fluctuantium Finarienfis Academia
Suum fufpexit Reftauratorem
Medica Conjecturantium Mutinenfis Academia
Præfidem elegit
Anno MDCCLI.
Ob Ingenii fimul, & placidi Animi præftantiam
Principibus, Purpuratifque Patribus
Percarus, & acceptus

Herculi maxime Raynaldo Ateftino
Ejufque Conjugi
Mariæ Therefiæ Cybo
Nec non Philippo Haffiæ Darmftadienfi
Mantuanæ Ditionis olim perpetuo
Moderatori
Qui eum honoris titulo
Et propriæ
Incolumitatis ftudio
Confiliarium Medicum dixerunt, & elegerunt.
Vir tantis infignitus dotibus, & honoribus
Quarto decimo Kal. Februarii, quafi Mortis
Futuræ præfcius
Dum in Galeno præcavenda in Syncope
Lectitat
Forti Syncope correptus
Finarii vita ceffit
Ætatis fuæ Anno LXII.
Æræ Chriftianæ
MDCCLVI.



Quando

DEL SIGNOR FISICO

N. N.

Censore Primario dell' Accademia de' Signori Congietturanti.

QUando Morte ci tolse il nostro alto sostegno
L' alto Morando, onore del bel medico Regno,
Sentii nel petto un gelo corrermi tosto al core;
E caddi al suolo esanime in un mortal sopore.
Fuor di me stesso allora fui tratto, e non so come;
Là tra i beati mirti, ch' han dagl' Elisi il nome.
Colà sparsa di luce vidi l' eterna Salma
Di Lui, che i dì più lucidi vive in perpetua calma.
Ei spirante un odore di fragranza celeste
Cingea leggiadra, e candida, lunga, ondeggiante Veste.
Vennergli incontro unanimi l' Ombre famose, e conte;
E con piacer l' accolsero, e lo baciaro in fronte.
Intorno a Lui spargevano cinti d' eterni allori
Gli altieri Spirti Peonii i meritati onori.
Quindi Esculapio, e Ippocrare con lunga barba, e folta
Cinser di doppie frondi l' Alma felice, e colta.
Cratone, Elmonzio, e Celso, Avicenna, e Galeno
Gli furo intorno, e strinsero l' Ombra onorata al seno.
Così Bellini, e Redi, Wandich, ed Amajand;
E così fece Offmanno, Astruch, e Maisland.
Pithcarnio, e Boerhavve Astri del nostro Cielo
Corsero ad onorarlo caldi d' Amore, e Zelo.
I Notomici ancora Chesfeldeno, e Leali
L' ornar con altri cento di laudi alte immortali.

Ma dove lascio, Amici, i Modanesi ingegni
Della bell' Arte Medica chiarissimi sostegni?
Vidi Falloppio illustre, l' inclito Ramazzini,
Vallisneri, e Frassoni, e il gran Torti, e Davini,
Tutti brillanti in volto, tutti festosi, e altere
Dieder al mio Morando i primi onori interi.
Era già sparso anch' io d' insolito contento,
Mentre tenea lo sguardo a tai stupori intento.
Quando mi parve a un tratto veder il nostro Suolo
Sparso di mesto pianto, cinto d' affanni, e duolo.
Vidi Parenti, e Amici con la mestizia in volto
Pianger Morando insigne, dotto, facondo, e colto.
Battea franco di Coo le più difficil mete,
E incoronò più volte il trionfale abete.
Piange i suoi spenti giorni la destra Chirurgia,
E la pensosa Fisica voci di duolo invia.
Le sacre Dive anch' esse del faticoso monte
Piangon sedendo in riva dell' Ippocrenio Fonte:
Piangon le dolci rime, e l' armonia gioconda,
Ond' ei del bel Panaro fermava il corso all' onda.
Piange Modana ancora, e piange il bel Finale,
Che folgorò più volte del lume suo immortale.
Mentre scorgeva, o Amici, tutto lugubre, e mesto
Scosso da un' alto tremito, dal sopor mio mi desto;
L' Ombre sparirò a un tratto: Tutto dispar ve, e intanto
Io qui sol mi rimasi in fra i sospiri, e il pianto.

E' questo

DEL SIGNOR FISICO

WOLFANGO-ANNIBALE LEPORATI

Segretario perpetuo de' Signori Conghietturanti, ed Accademico Ducale.

E' Questo il loco, e l' Urna, ahimè, fatale:
Voi con industre man, Fabbri, incidete.
Colà Filosofia pensosa ergete,
E Poesia senza il bel Lauro, e l' ale.

Avvolte in lungo panno, e funerale
Quì Medicina, ed Algebra ponete;
Poi nella base a Lettre d' or scrivete,
MORANDO, onor del Secolo Immortale.

Ferito Amor, col comun bene a lato
Sorga nel mezzo ad isfogar sua doglia
Con l' egra Speme, un dì ridente, e vaga.

Giaccia sotto a' suoi piedi il Tempo irato,
E Morte ria, che saziar sua voglia
Ben può nel fral; ma il Nome altier non piaga.

DEL SIGNOR FISICO

DOMENICO LEONELLI

Accademico Congbietturante.

LE facre Dive, che d' allor m' ornaro,
Del gran MORANDO il destin tristo, e ferò
A deplorar mi guidin, e l' altero
Nome a render per ogni Età più chiaro:

Ei di Virtute, al Mondo esempio raro,
Quì furse, e fue del nostro Ciel primiero
Astro fiammante, al cui bel lume vero
Di Coo le mete i Viaggiator toccaro.

E già ch' invida Morte il bel tesoro
A noi furò, lasciando del fatale,
Ed aspro caso solo il pianto nostro;

Deh cinti, Amici, di lugubre allora
Spargete omai su l' Urna sepolcrale
Funerei fior, col mesto canto vostro.

Armindo

DEL SIGNOR FISICO

G. P.

Accademico Congbietturante.

ARmindo in ogni cetra
Armindo oggi risuona,
Ognun di Lui ragiona,
Ed io tacer dovrò?
Melpomene faconda,
Deh Tu mi vieni accanto,
Deh Tu m' ispira il canto,
Ch' anch' io lodare il vò.

Cantiam le doti in prima
Della bell' Alma ornata;
Cantiam che fu pregiata
Pel suo perfetto oprar.
Dican mie grate rime
Con qual ardor s' accinse,
Con qual fervor si spinse
Le Lodi a meritar.

Dican, ch' ei fu primiero
A faticar su carte,
Mostrando a parte a parte
Con larghi esempli il ver.
Perciò di noi fu Duce;
E da noi n' ebbe il serto;
Ed ei sol ebbe il merto
D' esserci Condottier.

Ah, se ridir potessi
Del suo parlar lo stile,
Che sì colto, e gentile
Destar solea stupor:
Direi, ch' egli fu grande,
Grande per sua virtute,
Che donò altrui salute
Co' sparsi suoi sudor.

Ma ch' ora mai mi fingo
Con questi versi miei?
Eternarlo io vorrei,
Ma in me valor non è:
Io ben Armindo ascolto,
E di sue gesta il grido
Suonar di lido in lido,
Chiamandolo qual' è.

T' arresta dunque, o Musa,
E non ti reca a sdegno
D' aver quì dato un segno
Del tuo dolor così.
Deh lascia ad altri il campo,
Ch' avranno ingegno, ed arte
Per ricondurlo in parte
Dove lo chiama il Dì.

Ma qual rumor io sento
Di cetere scordate,
Ch' erano deste, e usate
A suonar liete ognor.
Ditelo, cari Amici,
Qualor vi stringa affanno;
Ah voi piangete il danno
Del già schiantato allor.

Ahimè

Ahimè cadeo la Gloria,
V' odo ridir con mesto
Pianto: Cadeo l' onesto
Di nostra Arcadia onor.
Morte crudele, ingrata,
Ah, che pur troppo io sento
Presto reciso, e spento
D' ogni virtute il Fior.

O Morando Morando,
Dunque così ne vieni,
Così serbi, e mantieni
La già promessa fe?
Quel giorno pur tu sai,
Ahi lagrimevol giorno,
Ch' il pronto tuo ritorno
Dolce accennasti a me.

Deh, se lá su m' ascolti,
Raccogli almeno i voti
De' nostri cor devoti,
Che t' offriremo ognor.
Che sì ci udran fedeli
Fra le querele, e i pianti
Col tuo bel Nome avanti
Vivo chiamarti ancor.



DI CRATEJO

Medico Chirurgo, Accademico Bottanico di Firenze, ed Accademico Congbietturante.

Contro i colpi di Morte, e di Fortuna,
Contro l' iniqua, inesorabil Parca,
Che la gran falce disdegnosa inarca,
Oggi sorger conviemmi in veste bruna.

Se già col Remo, ch' entro l' onda imbruna,
Scioglie dal lito a tragittar la Barca
Sozzo Caron crudele; e omai sen varca
Questa grand' Alma, che virtute aduna;

Ben sia, ch' un Vate su l' eccelsa Tomba
Di MORANDO a ridir l' opre onorate
Chiami la Fama a dar fiato a la Tromba;

Che su le verdi piagge d' Elicona
Ne l' ampio sen de la ventura Etate
D' Inni immortal le formerà corona.

Ehu

EXCELLENTISSIMI DOMINI

D. JACOBI ANTONII LEPORATI

In Regiensi Societate Hypochondriacorum, Simphoni, dicti; necnon Academiæ Conjecturantium.

EHu Physica, & rigida insigniant nunc Algebra funus,
Et Chirurgia, & Symbola Apollinea.

Artes, quas prudens rexit, quas sumptibus auxit,
Ehu, Scultenna, Viri sculpe dolens nitidi.

Sed meliora latent: MORANDI scilicet illa
Mens, & amor medicus; talia quis referat?

Ars minime: Doctrina at, Virtus transfusaque alumnis
Exprimit illum, atque in palmite vernat adhuc.



Qui

EXCELLENTISSIMI DOMINI

D. ANTONII MORANDI

Academiæ Conjecturantium.

QUo rumpis Peregrine moram? quo tendere curas
Tam celeri gressu? decet huic adstare Sepulchro,
Et vires spectare necis, quippe hæc tua meta est,
Ad hanc paulisper mœrens tu siste Viator,
Ad hanc tu properas, etsi requiescere dudum
Hic placeat, violento ubi Virtus funere luget.
Non attende sepulchrali de marmore famam,
Virtutes verum comites attende sepulti.
Hæc tegit Urna Virum, referens insignia mortis;
Quæ potius Famæ vita est, hic scribite, dixit:
Gloria in exuviis remanet præclara sepultis,
Ossaque Fama levat circumvoluta tenebris.
Hic vero Pierides atris in vestibus omnes
Fletibus ora madent, & tristia carmina dicunt:
Hic Sophiæ studium, hic sancta ingeniosa Facultas
Conditur: hic Ars Hippocratis divina medendi.
Induit hic Pallas Læthi miserata furentis
Pro niveis atras vestes, laurumque capillis
Aufert inornatis, effundens pulvere crines;
Sic sedet in Tumulo, viduataque morte MORANDI
Ante oculos nisi funus habet, nisi damna Lycæi.
Tota labor sua vita fuit juvenilibus annis,

Con-

Confectusque labor tantum, cum vivere cessit;
Vita, simulque labor justo est nunc danda dolori,
Quam virtute prius crebris impleverit annis.
Non periit virtute suum post funera nomen,
Sed moriente novæ retulit primordia Vitæ.
Sustulit ex oculis Mors improvisa suorum
Quarta jam decima mensis redeunte Kalenda
Brumalis Februarii anno currente salutis
Septeno centum, & post mille decennia lustra
Sex annis. Ætas non longa fuit, brevis immo.
Sexaginta duos vixit nam circiter annos,
Octo dies, Mensesque duos, horasque minuta,
Quæ ignorans, numeris licet hic comprehendere nullis.
MORANDUS Nomen, MORANDI Agnomen habebat,
Illustris Mutina esse dedit. Verum abstulit esse
Finarium; utque mori discas, hoc vive Viator
Exemplo, melius namque est post funera nasci.



Protestano gli Autori d' aver scritto con espressioni Poetiche, ma di professare sentimenti da veri Cattolici.

Die 13 Augusti 1756.

Imprimatur

Fr. Hyacintus Maria Crispi Ord. Præd. Vic. Gen. Sancti Officii Mutinæ.

Vidit

CAPPONI.

